



Canticum Canticorum depromsit, et templa idolis ejus Moloch et Chamos aedificavit, et multa etiam usque ad contemptum Dei propter eam fecit, et in fine hoc gloriosum sepulchrum ei excidit. Alii dicunt, et est iam vulgata opinio Sarracenorum et Christianorum orientalium, quod Absolon, filius David, pro sui sepultura sibi petram hanc incidi fecerit. Hoc fundatur 2 Reg. 18. Sed quia parentem suum persecutus fuit, et miserime interiit, trans Jordanem alibi sepultus fuit. Propter hoc consuetudo est, quod omnes pueri, qui juxta hanc pyramidem pertranseunt, sive sint pueri Judaeorum, Sarracenorum, aut Christianorum, lapides de terra tollunt, et contra pyramidem projiciunt in ipsum, jactantes et lapides mittentes Absaloni maledicunt, eique de mala morte insultant, signum detestationis paternae inobedientiae. Et si qui habent in Jerusalem puerum rebellem, ducunt ipsum in vallem Josaphat huc ad pyramidem, et cogunt eum verbis et verberibus projicere lapides contra eam, et Absaloni maledicere, recitantes ei excessum et mortem Absalonis. Et illa est puerorum efficacissima correctio in Jerusalem. Unde propter frequentes puerorum lapidum projectiones jacent juxta pyramidem magni acervi lapillorum, et nisi lapilli interdum removerentur, dudum fuisset oblecta lapidibus. Alii dicunt, quod Josaphat, rex Jerusalem, hanc pyramidem fecerit fieri pro sui sepultura. Quod ego non credo, quia fuit vir sanctus, imitator virtutum patris sui David, a quo sicut in vita non discrepavit, nec in sepultura ab eo separari quaesivit. Unde tertio et ultimo dicitur, quod mortuus Josaphat sepultus est in sepulchro patris sui, in civitate David. Et ideo aliter dicendum videtur, quod Josaphat fuit vir magnificus, et multa mirifica opera fecit, inter quae et hanc pyramidem pro magnificentia et pro miraculo excidi fecit, et tantum nomen ex hoc acquisivit, quod ipsa vallis tota, quae prius dicebatur vallis Cela, postea ab omnibus nominaretur vallis Josaphat usque in hodiernum diem propter hanc pyramidem. Circa hanc pyramidem nullae sunt indulgentiae; ideo ea visa ad alia nos convertimus.

424

422

428

418

433

413

473

373

323

Ende

Anfang